



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. XXII. Solvuntur ultimæ objectiones, & adduntur aliqua corollaria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

probabilem, atque sic tantum reflexe, & mediate versatur circa licentiam actionis: quare non est similis casus cum casu nostrae conclusionis.

399. Dices 1. æqualis probabilitas non debet cadere in actionem, ut ita dicam, nudam, sed in vestitam suis circumstantiis objectivis: ergo potest dici, quod etiam sententia benigna cadat immediate in actionem ut vestitam opinionem minus probabili: adeoque sufficienter immediate versetur circa licentiam actionis. Resp. dist. antec. æqualis probabilitas debet cadere in actionem vestitam circumstantiis objectivis, quæ sunt objectum iudicii directi, & immediate versantur circa licentiam actionis. conc. antec. quæ sunt tantum objectum iudicii reflexi. neg. antec. & conseq. Circumstantiæ illæ sunt e. g. necessitas, auctoritas, vel opinio aliorum de ea re directe iudicantium, præceptum, accidentalis difficultas &c. quæ aut causant bonam fidem, aut sunt objectum directum, iudicii immediati, de licentia actionis.

Si jam iudicium directum, immediate respiciens has circumstantias objectivas, sit æque probabile, actio est juxta nos licita. At inter has circumstantias non debet computari opinio ipsa propria, vel ipsum directum iudicium minus probabile; nam hoc est tantum objectum iudicii reflexi, & hac ratione non jam directum iudicium, sed tantum reflexum esset æque probabile: adeoque casus non esset similis casui nostræ conclusionis: contra quam insuper non militat ratio, quæ contra sententiam adversariorum, scilicet, quod hac ratione nimis leges forent inutiliter, & etiam existentes nec tamen invincibiliter ignoratæ, non obligarent: unde cum hac sententia reflexa adversariorum, & nostra conclusione non est paritas, & contra eam pugnant rationes valde graves, quæ nostram conclusionem confirmant.

400. Dices 2. Etiam nos adhibemus principium reflexum: *In dubio legis non datur obligatio eam servandi.* Resp. nos non negare, posse adhiberi principia reflexa, sed dicimus, ad hunc applicationem debere jam præsupponi æqualitatem probabilitatis sententiæ directæ; non enim ex hoc principio inferimus, sententiam aliquam esse æqualiter probabilem, sed æqualis probabilitas præsupponitur, & ex hac ipsa inferitur, legem esse dubiam, tunc autem primum ex principio reflexo inferimus licentiam actionis. Sic etiam alterum dictamen reflexum, *stante æquali probabilitate utriusque sententiæ, non teneor amplecti tutiorem:* non probat, sententiam aliquam esse æqualiter probabilem, sed supponit.

401. Dices 3. Saltem nos tanquam circumstantiam objectivam ponimus ignorantiam, & dubium: ergo etiam potest poni sententia minus probabilis. Resp. neg. antec. in sensu stricto loquendo, quamvis aliquando latius loquendo, ignorantia, vel dubium vocetur circumstantia objectiva. Potius ponimus ignorantiam, & dubium loco opinionis directe versantis circa licentiam actionis; nam ignorantia, & dubium saltem æquivalent opinioni directæ æqualiter probabili: imò ideo juvat æqualis probabilitas; quia æquivalent ignorantia, aut dubio: ergo jam per ipsam ignorantiam, & dubium habetur sal-

tem æquivalenter æqualis probabilitas immediata de licentia actionis, & non primum hæc licentia, vel aliquod iudicium directum de licentia, debet hanc æqualitatem probabilitatis recipere à principio reflexo, sicut tamen juxta adversarios debet primum sententia directæ minus probabilis recipere æqualem probabilitatem à principio reflexo, scilicet ab isto, quod æqualiter probabile sit, licitum esse, sequi sententiam etiam minus probabilem. Quare, licet juxta nos ignorantia, aut dubium, sit aliqua circumstantia objectiva respectu iudicii reflexi, non est talis circumstantia respectu iudicii directi: sed est æquivalenter hoc ipsum, neque in hoc casu debet haberi iudicium aliud directum æqualiter probabile; quia, quod æqualis probabilitas præstaret, immediate præstat ignorantia, vel dubium, ut modò ostensum.

ARTICULUS XXII.

Solvuntur ultima objectiones, & adduntur aliqua corollaria.

402. **O**B. 11. Licet mihi videatur sententia aliqua notabiliter probabilior, possum tamen absolute judicare, eam non esse magis probabilem, quam oppositam: ergo omnes licet sequi. prob. antec. possum utique falli meo iudicio: & sapit superbiam, velle suum iudicium aliorum iudicio præferre: ergo. Resp. retorq. arg. ergo, etiam si mihi sententia videatur moraliter certa, possum judicare, non esse talem, quia etiam possum falli, & sepe sunt, qui etiam sententias aliis certis oppositas defendunt. Sanè Cardenas non unam tanquam certam defendit, cui oppositam tueri alii. Ex hoc autem ulterius sequeretur, quod talibus sententiis non posset quis uti, quando agitur de valore sacramentorum, quod est valde durum. in forma neg. antec. supposito, quod omnia legitime consideraverim. ad prob. conc. 1. p. antec. neg. autem 2. & conf. licet enim possum falli, non sequitur, quod prudenter possum judicare, me hic & nunc falli, aut non esse majus periculum deceptionis in opposita, quam in mea sententia, quæ ab auctoritate, vel ratione notabiliter prævalet. Cumque quilibet debeat sibi formare dictamen conscientie proportionaliter ad suum iudicium, quod sine passione, & matura cum deliberatione, ac sufficienti intellectu capacitate, concepit, non potest in hoc casu judicare actionem sibi licitam. Quod spectat ad 2. p. probationis, seu superbiam, esset quidem ei locus, si ego solus sine gravibus rationibus contra alios id judicarem: at, si plures doctiores me, & doctissimi mecum sentiant, vel ego saltem rationes, mature, cum debita applicatione, ac capacitate, sine omni passione expensas, longè graviores habeam, & oppositas satis clare solvam, nulla est superbia non sentire aliter, imò foret imprudentia, si oppositis levioribus fundamentis assentire.

Ob. 12. Non semper teneor consulere doctiores, quamvis hi doctius, & probabilius responsuri essent, sed sufficit consulere doctos: ergo etiam non teneor semper sequi sententias proba-

probabiliores, licet hæ sint verosimiliores, sed sufficit sequi sententias adhuc verè probabiles. Resp. Consulere in casibus conscientiarum alios viros doctos, spectat ad moralem diligentiam, quæ adhiberi debet ad inveniendam veritatem: quæ in re sufficit, saltem ordinariè, consulere doctos, & prudentes; quia isti, saltem in communibus, censentur non minùs sufficientes ad solvenda dubia, quàm magis docti, & existimatur æquè facile apud illos in communibus invenienda veritas, quàm apud istos: imò magis docti non semper respondent probabiliora, sed sæpe laxiora, & minùs probabilia. Si autem sint casus difficiliore, etiam non semper sufficit consulere quosvis minùs doctos: sed debent pro qualitate negotii consuli doctiores, quantum moraliter fieri potest; & quantum istis moraliter haberi possunt.

Certè si haberem doctiorem ad manum, & verosimilius mihi esset, quòd minùs doctus mihi responsum esset probabilius falsum, non possem istum præ illo consulere; quia non bona fide inquirerem veritatem. In forma. neg. conf. Licet sæpe consulere minùs doctos; quia etiam hac ratione satisfat obligationi inquirendi veritatem; eoquòd æqualis spes sit eam inveniendi apud minùs doctos, quàm apud magis doctos. At non licet sequi sententiam minùs probabilem; quia hanc sequendo non satisfat obligationi servandi præcepta; cum ista non eodem modo observarentur, si minùs probabilis ratio ab eorum observatione eximere posset: sed multæ leges reverà existentes violarentur, aut frustra essent positæ &c. quæ in probatione sententiæ nostræ deduximus.

403. Collige 1. Judicem non posse judicare juxta sententiam minùs probabilem, quod videtur per se clarum, & sumitur ex propositione damnata mox citanda: imò iudex non potest judicare juxta æqualiter probabilem: sive, non potest, ex duobus æquale jus habeatibus, uni præ altero rem totam adjudicare, sed debet procurare, aut compositionem, aut transactionem, aut divisionem rei. Ratio est; quia, licet sit æqualis probabilitas circa jus, non est æqualis probabilitas circa licentiam actionis iudicis; hic enim ex officio constitutus est, ut iudicet secundum probabiliorum. Unde casus hic, qui à quibusdam vocatur *casus pro amico*, ab aliis rectius dicitur *casus pro diabolo*. Et huc spectat propositio 2. damnata ab Innocentio XI. *Probabiliter existimo, iudicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.*

Aliud est de Advocato, qui, cum ejus officium sit, non judicare, sed rationes proponere, & juvare clientem, potest causam æqualiter probabilem defendere, & rationum momenta afferre: imò potest etiam defendere minùs probabilem causam; quia fors iudici videbitur magis probabilis: monere tamen debet clientem; quia fortè hic in causa ita periculosa nollet facere sumptus.

404. Collige 2. Ministrum Sacramentorum, extra casum necessitatis, non posse adhibere materiam, aut formam, vel aliam rem, ad valorem sacramenti requisitam, tantum probabiliter, aut etiam tantum probabiliorum præ tuta, si hæc haberi possit; nam iterum non est probabile, quòd adhibere ista liceat, ex propositio-

ne 1. ab Innoc. XI. damnata: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabilis tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis, aut Episcopalis.*

405. Quodsi obijciatur, ipsos summos Pontifices usos fuisse sententiis minùs probabilibus in dispensationibus, ubi agebatur de valore matrimonii, vel alterius Sacramenti. Respondetur, licet aliis minùs probabiles visæ sint, non tamen Pontificibus tales visas fuisse, imò, si Pontifices ejusmodi sententiis usi sint, inferri, tales sententias esse sufficienter certas, vide etiam num. 370. Quantum autem attinet ad matrimonia Paraquariensium, circa quæ Urbanus VIII. videtur reliquisse nostris Patribus usum opinionum probabilium, intelligendum id est, si nempe tuta, aut certa haberi non possit, ut ibi crebrò non poterat haberi, eo quòd videretur fuisse tantum concubinatus vagus, & nesciretur sapientimè, quænam uxor prima fuisset. videatur Del Techo *Histor. Paraquariens.* l. 10. c. 25. Item P. Thyrsus *de usu opinionum probabilium differt.* 14. c. 7. Quando autem quædam consistoria judicant, in causis matrimonialibus, ubi agitur de valore Sacramenti, juxta sententiam minùs probabilem, & minùs tutam, si etiam ipsis talis videatur, & tamen rectè iudicent, ideatenus fieri potest, quatenus censetur Ecclesia posse in iis dispensare, & simul, quantum potest, tacitè dispensare, eo quòd, ut ajunt, sciat, & toleret. De hac questione videri potest Cardenas, *differt.* 2. in 1. propositionem ab Innocentio XI. damnatam c. 8. ubi per plures paragraphos, & numeros hac de re agit: & a. 3. n. 529. sic habet: *Quando est vera probabilitas juris de valore matrimonii, saltem in iis, quæ pendent ex jure humano Ecclesiastico, valor matrimonii sit omnino certus.* Veram autem probabilitatem opinionum, seu opiniones verè probabiles, num. 530. ait esse illas, *Quæ, licet non propugnentur ab omnibus, tamen ab omnibus recipiuntur tanquam probabiles.* Deinde a. 11. ponit hunc titulum: *Resolvitur in dubio positivo circa impedimenta jure Divino, & naturali dirimentia, certum esse valorem matrimonii ex dispositione juris Ecclesiastici.* Prius autem num. 586. dixerat: *Dubium positivum est, quod oritur ex varietate opinionum probabilium utrimque pugnantium.* Quæ longè fusiùs deducta in ipso auctore legi possunt.

406. Collige 3. Nec Medicum posse, adhibere medicinam tantum æqualiter probabilem prætiori; exigit enim hoc charitas erga proximum, & officium medici, ut, quantum potest, tutissimè procuret valetudinem corporis. Si tamen nulla medicina foret certa, aut tuta, posset in casu gravis necessitatis adhiberi medicina probabilior, aut etiam, si hæc haberi non possit, probabilis. Plura corollaria similia facile est reperire apud morales Theologos. Cæterum, ut sub finem universalius aliquid dicam, in morali materia maxime in id incumbendum, ut non nimium laxus, nec nimium rigidus sis, *Medio tutissimus ibis: runcque ritè incersis, si Regio Prophetæ concinere possis: Miseri cordiam, & judicium cantabo tibi Domine.*

Ps. 100. v. 1.

INDEX.